

idest amorem saeculi. qui eius mentem obligat. ne tibi domine famulari ~~possit~~ valeat. Solvat fasciculos deprimentes. idest pondera eorum. que contra rectitudinem praeceptorum tuorum aut cupit aut retinet. pro tui nominis amore deponat. Nullum vero te domine remunerante. exinde subeat saeculi praesentis detrimentum. quin potius tuorum repleatur copia Christe donorum. Dimittat eos qui contracti idest ab eo sunt oppressi liberos. et omne onus iniuste aliis inpositum dirumpat. Pascat esurientes. potet sitientes. infirmos et in carcere positos visitet dolentes consolatur. Hec atque his similia domine quaesumus redemptor piissime. amator hominum benignissime pro tui sancti nominis amore. in fide vera que per dilectionem operatur ita devote agat. ut per hec praeterita admissa te adiuvante deluat. quarinus te largiente a praeteritis et praesentibus delictorum rebus absolvi et de futuris te custodiante mereatur liberari. Sicque te gubernante feliciter in hoc praesentis vite stadio valeat currere. ut ad bravium eterne remunerationis feliciter pervenire. felicissimeque illud valeat sine fine tenere per te qui via veritas es et vita. salvator mundi qui cum patre

1. Nachtrag:

Consideret sollicite quam nulli sit temporalis gloria quam eterna secuntur tormenta quam modica temporalis afflictio quam sequitur
eterna remuneratio.
.....

2. Nachtrag:

Tardius vindicet. facile ignoscat. malit vitiis quam militibus imperare deo quam hominibus placere. Cuncta non propter ardorem inanis gloriae. sed propter amorem agere. felicitatis eterne. Eripiat pauperem. et egenum de manu potentioris liberet. Obprimat neminem ipse iniuste. oppressos pro viribus contendat liberare.